



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**EXERCITIA || SPIRITVALIA || IGNATII DE || Loyola.||**

**Ignacio <de Loyola>**

**Mogvntiae, 1600**

**VD16 I 56**

Contemplatio ad amorem spiritualem excitandum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45165**

vtar commoditate, quæ sese offeret: puta per tempus vernum, herbarum virentium & florum aspectu, aut a prici loci amœnitate: per hyemem vero solis, vel ignis opportuno calore: & ita de cæteris corporis, atq; animi oblationibus congruis, per quas Creatori & Redemptori meo, congaudere queam. In decima, vt loco pœnitentiæ, temperantia & mediocritate victus contentus sim, nisi quo tempore iejuniū, vel abstinentiam Ecclesia indixit, cuius præceptis semper obtemperandum est, nisi iustum adsit impedimentum.

*CONTEMPLATIO, AD  
amorem spiritualem in nobis ex-  
citandum.*

**I**N primis duo notanda sunt: Primum, quod amor ipse ab operibus magis, quam à verbis pendet. Secundum: quod cōsistit amor in mutua facultatum, rerum & operum

com-

communicatione; puta scientiæ, di-  
uitiarū, honoris, & boni cuiuscunq;.

*Oratio præmittitur et more.*

**P**ræludium primum est: vt coram  
Domino, Angelis, Sanctisq; omni-  
bus, mihi propitiis, stare me videam.

**S**ecundum: vt gratiam DEI efflagi-  
tem, per quam beneficiorum eius,  
in me collatorum magnitudinē per-  
spiciens, ad amorem, cultum, & ser-  
uitium ipsius, totum me impendam.

**P**vnctum primum sit: reuocare in  
memoriam beneficia creationis,  
ac redemptionis: dona itidem parti-  
cularia, seu priuata enumerare: &  
cū intimo affectu perpendere, quan-  
tum mea causa benignissimus Do-  
minus egerit, atque pertulerit; quan-  
tum mihi elargitus sit de thesauris  
suis; quodq; iuxta diuinum suum de-  
cretum & beneplacitum, seipsum

mihi

mihi, quantum potest, donare velit.  
**Q**uibus optime inspectis, vertar ad  
 meipsum, & disquiram tecum, quæ  
 meæ sint partes; & quid æquum iu-  
 stumq; sit, ut diuinæ offeram, & ex-  
 hibeam maiestati: haud sane dubium  
 quin mea omnia offerre debeam, ac  
 meipsum cū summo affectu, & ver-  
 bis huiuscmodi, vel similibus.

**S**VLcipe Domine uniuersam meam  
 libertatem. Accipe memoriam, in-  
 tellectum, atq; voluntatem omnem.  
**Q**uicquid habeo, vel possideo, mihi  
 largitus es: id tibi totum restituo, ac  
 tuæ prorsus voluntati trado guber-  
 nandum. Amorem tui solam, cum  
 gratia tua, mihi dones, & diues sum  
 satis, nec aliud quicquā ultra posco.  
**S**Ecundum erit: speculari DEVM, in  
 singulis existentem creaturis suis:  
 & elementis quidem dantem, ut sint:  
 plantis vero, ut per vegetationem  
 quoq; viuant: animalibus insuper, ut

sen-

sentiant: hominibus postremo, vt si-  
mul etiam intelligent. Inter quos ac-  
cepi & ipse vniuersa hæc beneficia,  
esse, viuere, sentire, ac intelligere: me-  
que templum quoddam suū efficere  
voluit, ad imaginem suam & simili-  
tudinem creatū. Ex quorū omnium  
admiratione, reflexus in meipsum, a-  
gam vt in primo puncto, vel melius  
si quid occurrerit: id quod in punctis  
etiam sequentibus, erit factitandum.

**T**ertium est: considerare eundem  
Deum, ac Dominum, propter  
me in creaturis suis operantem, & la-  
borantem quodammodo: \* quate-  
nus dat ipsis, conseruatque id quod  
sunt, habent, posunt, atq; agunt. Quę  
omnia, vt supra, in mei consideratio-  
nem reflectenda erunt.

**Q**uartum: prospicere quo pacto  
munera, & bona omnia cœlitus  
descēdūt, vt sunt potētia, iustitia, bo-  
nitas, sciētia, & alia quelibet humana

perfe-

\* aa

perfectio, terminis quibusdam certis circumscripta: quæ ab infinito illo, totius boni thesauro, sicut lumen à sole, & ex fonte aqua, deriuantur. Addenda supereft reflexio prædicta in mei circumspectionem.

**C**olloquium etiam in fine fiet, terminandum cum Pater noster.

### M O D I T R E S O R A N D I.

**P**RIMVS orādi modus, deducendus est ex mandatis; ex peccatis septē mortalibus; ex tribus animæ potētiis; & ex quinque sensibus consideratis: vnde non tam habet orationis formam, quam exercitij cuiusdam spiritualis; per quod & anima iuuatur, & oratio Deo redditur acceptior.

Prius itaq; quam hoc orē modo; iuxta illud, quod tertiae additioni

æqui-